

suis actionibus, ut ratio ipsa naturalis dictat. At vero obligatio operandi secundum conscientiam erroneam, et non contra illam, nascitur ex ipsamet conscientia, seu dictamine proponente legem, seu præceptum, et obligationem ejus hic et nunc. Unde quamdiu talis conscientia non deponitur, semper lex ipsa apprehensa, et judicata premit, et obligat, quia lex proponitur; ergo ut obligans.

XXVI. Et sic tenet D. Thomas, quod conscientia erronea obliget ad operandum juxta illam, ut videri potest in hac quæstione XIX, artic. V ad secundum, ubi inquit: « Quod qui habet istam conscientiam erroneam per accidens obligatur ad malum, id est, ad id quod in re, et materialiter malum est. » Et articulo sexto ad secundum admittit, quod ex suppositione, quod aliquis non deponit conscientiam erroneam bene potest aliquis esse perplexus. Perplexitas autem ista in hoc stat, quod et tenetur agere secundum illam dum non deponitur, et tenetur non agere deponendo illam. Si autem solum teneretur deponere, non esset perplexus. Videndus est etiam D. Thomas super caput V ad Galatas, lect. 1, explicans illa verba: *Testificor omni homini circumcidenti se, quod debitor sit universæ legis faciendæ*: inquit enim: « Quod tenetur aliquis ad servandam illam legem, ut operetur secundum propriam existimationem, aut conscientiam. » Et revera si debitor est universæ legis faciendæ; ergo non solum tenetur non agere contra legem sic propositam, sed agere juxta illam, quia ad multa faciendæ obligat lex.

XXVII. Sed objicies: Primo, quia conscientia non potest obligare nisi in vi legis, divinæ et æternæ, a qua tamquam a principio omnis lex inferior dimanat, et ipsa obligatio conscientia, quia hæc obligat tam-

quam regula proxima, et immediata per quam applicatur nobis lex et præceptum; ergo supponit primam regulam, et remotam, a qua dimanat lex ista proxima, et applicatio ejus, quæ est conscientia, sed a lege divina non potest oriri obligatio conscientia errantis; ergo neque in ipsa conscientia errante potest dari talis obligatio. Consequentia patet, quia nulla obligatio est in aliqua lege, vel regula proxima, quæ non derivatur a Deo, et a lege ejus æterna; ergo ubi non derivatur a Deo, non est obligatio. Minor probatur, quia conscientia errans obligat ad id quod in se est peccatum, licet ex ignorantia existimetur bonum; ergo obligat ad id quod in se est contra legem æternam, et contra ipsum Deum; ergo non potest ex ipsa lege æterna derivari obligatio conscientia errantis, quia sic derivaretur obligatio e lege æterna contra se ipsam in re, quod est impossibile, quia lex æterna præcipit, et obligat juxta modum sapientiæ, quæ non potest falli, non juxta intelligentiam, et errorem nostrum; ergo non potest ex tali lege æterna derivari obligatio ad conscientiam erroneam. Et sicut Deus non potest esse causa falsitatis ipsius, et erroris, quod ista conscientia laborat, sic non potest esse auctor obligationis, quæ ex suppositione erroris, et falsitatis solum obligare potest, nec enim obligatio ista oritur nisi supponendo errorem in conscientia; ergo qui est auctor obligationis, debet esse auctor erroris, saltem prout obligat, et in quantum obligat.

XXVIII. Respondetur aliquos, inter quos est Lorca, existimare, quod obligatio conscientia erroneæ, non sit vera obligatio, sed præsumpta, quia oritur ex præsumptione qua iste existimat, et præsumit illam conscientiam obligare. Cæterum aliud est quod oriatur ista obligatio

ex errore, qui verus præsumitur, aliud quod obligatio sit præsumpta et non vera. Primum est certum, et secundum falsum, quia illa est vera obligatio conscientia, cujus fractio est verum peccatum, ideo enim peccatur, quia fit contra legem, cum omne peccatum sit dictum, factum, concupitum contra legem æternam; ergo si est verum peccatum est contra legem; ergo contra veram obligationem, quia lex veram obligationem inducit, alias lex non erit. Unde cum conscientia erronea proponat aliquid tamquam legem, utique tamquam vere obligantem proponit et stante illa propositione, vera obligatio consurgit, quia hæc non sequitur legem prout in re existit, vel non existit, sed prout applicatur per dictamen intellectus ad operandum.

XXIX. Quare dicendum est, quod conscientia erronea vere et proprie obligat obligatione dimanante a lege æterna, seu divina formaliter, non materialiter, id est, quantum ad rationem formalem obligandi, non quantum ad materialem rationem circa quam versatur obligatio, hæc enim materialiter, et de se peccatum est; et in hoc errat illa conscientia, quia existimat materiam illam, quæ in re est peccatum, non esse peccatum. Ratio autem formalis sub qua proponit illam obligationem est obedientia ad legem, quæ proponitur per modum legis, et hæc ratio formalis a divina lege est, quæ generaliter dictat obediendum esse præcepto, seu legi, quæ proponitur ut lex, et ut præceptum, quidquid sit de errore, aut veritate circa materiam tali lege propositam. Et sic dicit D. Thomas quæst. XVII de veritate, art. IV: « Quod conscientia erronea non errat formaliter objective, seu quantum ad rationem formalem, errat autem quantum ad materialem. » Et sic quantum ad

materialem rationem non derivatur obligatio a lege divina, sed quantum ad rationem formalem, seu motivum obligandi supposito errore circa materiam talis conscientia. Et similiter potest dici quod est participatio divinæ legis objective, non applicative; proponit enim talis conscientia objectum, ut præceptum a Deo, in se autem formaliter non est recta applicatio, et vera.

XXX. Nec sequitur ex hoc quod Deus saltem per accidens, et materialiter obliget ad peccatum, quia ad ipsam materiam, quæ in re est peccatum, et erronee existimatur non esse peccatum, Deus non obligat, sed ad formalem rationem, scilicet ad obediendum ei quod per modum legis proponitur, et ut lex repræsentatur; hoc enim de jure naturali est ei quod præcipit lex, vel pro lege æstimatur obedire, et hoc jus a Deo descendit. Nec ex hoc sequitur, quod lex æterna obliget contra se ipsam, quia obligat ad id quod in re, et materialiter peccatum est: nam ad hoc non obligat Deus, ut materialiter in re sumptum, sed ad ipsam rationem formalem, quæ erronee applicatur materiæ, quæ in re peccatum est. Obligat enim obedire legi præcipienti, seu quæ repræsentatur, et æstimatur ut lex, et hoc rectum est; applicatio vero legis ad istam materiam, quæ in re peccatum est, non est a Deo, nec Deus ad illam obligat, sed potius talem applicationem, et conscientiam jubet deponi. Nec sequitur, quod si Deus non est causa falsitatis, et erroris ipsius conscientia, et applicationis ejus, non sit causa obligationis illius, quia hæc non resultat, neque consequitur ad illum errorem, sed ad ipsam rationem formalem legis, quæ hoc ipso quod repræsentatur ut lex, et ut regula proxima nostrorum actuum, debet venerari, et obediri, licet in re, et

ex parte materiæ, atque applicationis ejus erronea sit et mala; sufficit quod ex parte illius rationis formalis sit bona, et tamquam lex, seu iusta proponatur; sicut repræsentatio et imago regis etiam externa venerationem, et obedientiam petit.

XXXI. Secundo arguitur: Quia scientia, seu notitia de aliquo non tollit obligationem talis rei quam de se inducebat, sed si datur notitia, et scientia de illa conscientia quod erronea sit, tollitur obligatio: ergo signum est quod illam non habebat. Major est certa, quia notitia, seu scientia de aliquo solum ponit in illo extrinsecam denominationem, qua reddit talem rem cognitam, aut scitam; ergo non potest inducere obligationem, quia hæc nascitur ex ipsa natura, et qualitate intrinseca legis obligantis in tali objecto, vel materia, quod sane per solam extrinsecam denominationem sciti, vel cogniti fieri non potest. Minor vero nota est, quia hoc ipso quod quis habet scientiam, aut notitiam de aliqua conscientia, seu dictamine quod erroneum sit, hoc ipso cessat obligatio talis conscientiæ; nec potest quis illam sequi; ergo sola notitia de errore conscientiæ dissipat ejus obligationem.

XXXII. Confirmatur, quia lex æterna est superior ad conscientiam, sed lex æterna non præcipit id quod conscientia, sed oppositum; ergo faciendum est id quod præcipit lex æterna, non quod dictat conscientia. Patet consequentia, quia quando lex superior dictat oppositum legis inferioris, debemus relinquere legem inferiorem, et sequi superiorem; ergo si lex æterna est superior ad dictamen conscientiæ, non debemus sequi conscientiam, sed legem æternam; istam tenemur sequi, non illam.

XXXIII. Et secundo confirmatur, quia alias posset homo manere per-

plexus in operando quodlibet ex duobus contradictoriis, verbi gratia, si haberet dictamen, quod est opus mentiri propter salvandam vitam, et peccaret mentiendo, quia est malum intrinsece, et non mentiendo, quia esset contra conscientiam.

Respondetur quod scientia directe non tollit obligationem, quæ per se oritur ex aliquo principio, potest tamen tollere aliquam conditionem requisitam ut oriatur, vel applicetur aliqua obligatio, quando illa per accidens oritur, et ex aliqua ignorantia præsupposita talis obligatio tolli potest per scientiam contrariam, quatenus tollit conditionem requisitam, ut talis obligatio oriatur, scilicet præsuppositam ignorantiam.

XXXIV. Ad primam confirmationem respondetur, quod debet aliquis prætermittere legem inferiorem, et superiorem implere, quando utrumque cognoscit, et discernit. Si vero per conscientiam erroneam non cognoscit quæ sit lex Dei superior, et æterna, sed existimat hoc quod proponit esse legem Dei, tunc non currit casus, quia non potest quis obligari ad sequendam legem superiorem relicta inferiori, nisi utramque cognoscat, et discernat quæ sit lex superior, et quæ inferior; non vero si conscientia proponat tamquam legem superiorem, et æternam id quod revera æterna lex non est. Unde nec conscientia proprie dici potest lex inferior respectu æternæ, quia conscientia non est lex, sed applicatio, seu dictamen de lege ipsa æterna, quia proponit hoc esse legem æternam. Et sic qui sequitur conscientiam, sequitur legem æternam, ut applicatam per istam conscientiam, et dictamen.

XXXV. Ad secundam confirmationem respondetur ex D. Thoma in hac quæstione XIX, artic. VI ad tertium, quod absolute non potest

aliquis esse perplexus inter duo contradictoria; tamen ex suppositione quod non deponit conscientiam erroneam, non est inconveniens, quod sit perplexus, et peccet sive faciendo contra conscientiam, sive faciendo juxta illam, quia non facit diligentiam ad deponendum eam, et culpabilis est. Potest tamen ab ista perplexitate se expedire, neque unum, neque alterum faciendo, sed conscientiam illam erroneam, et culpabilem deponendo.

CONSCIENTIA ERRONEA QUOMODO EXCUSSET?

XXXVI. Ut conscientia erronea excuset, debet reduci ad unam regulam, scilicet quod ille error, seu ignorantia sit invincibilis. Nam quamdiu vincibilis est, est culpabilis, et consequenter non vacat culpa quidquid ex illo dictamine deducitur, utpote imprudenti, et culpabiliter errante, et sic culpabiliter dirigente. Non potest autem a peccato excusari quidquid ex culpabili directione, et dictamine fit, quia tale dictamen est defectuosum, et sic est causa peccati. Itaque ut conscientia excuset, debet esse dictamen prudens. Non potest autem esse prudens, nisi inculpabile sit, quia prudentia est virtus, et dictamen prudens est formatum a prudentia, ergo non potest esse culpabile, quia quod est culpabile non potest esse virtuosum. Quamdiu autem est vincibile est culpabile, quia potest vinci, et negligitur, ergo ut sit prudens debet esse ignorantia illa, et error invincibilis.

XXXVII. Quid autem requiratur, ut dictamen, seu iudicium procedens ex errore sit invincibile, et excuset operantem, respondetur invincibilem errorem, seu ignorantiam

posse intervenire ex duplici principio inter se contrario, et opposito, videlicet vel ex omnimoda inadvertentia, seu oblivione, aut ex magna advertentia, quæ facit sufficientem diligentiam, ut vincat errorem, seu ignorantiam illam, nec tamen potest, nec restat, vel occurrit illi ulterius alia diligentia, morali et humano modo factibilis, tunc si adhuc erret in re, non errat in conscientia, quia non errat in prudentia, nec est error practicus, sed speculativus. Et sic conscientia erronea ut excuset, oportet quod error ille sit speculativus, non practicus; quod statim magis explicabimus. Igitur ex primo capite, seu ex primo principio, constat manifeste errorem illum remanere invincibilem, quia est error, seu ignorantia omnino involuntaria, nec in manu nostra posita, sed mere naturalis, utpote ex mera oblivione, et inadvertentia orta. Talis autem causa cum sit mere naturalis, neque est culpabilis, nec potest vinci, cum in manu nostra non sit, ergo est inculpabilis. Ex secundo autem principio etiam clare dignoscitur provenire posse ignorantiam invincibilem, facta sufficienti diligentia, quæ humano modo fieri potest, quidquid restat non potest vinci, nec est in manu nostra, neque culpabile, ergo est inculpabile, et invincibile per nostram voluntatem et diligentiam, et sic si facta tali sufficienti diligentia, adhuc restet ignorantia, vel error, ille erit error mere speculativus, non practicus, quia non est contra prudentiam; prudentia enim dictat, quod si fiat sufficiens diligentia, non potest rationabiliter amplius exigi ab homine, et sic neque temerarie, neque imprudenter procedit in tali re facienda; ergo prudenter se habet, atque adeo sine errore practico, quia prudentia non errat practice, virtus enim intellectualis est.

XXXVIII. Inquires tamen, an stante conscientia erronea, si superveniat præceptum prælati, præponderet conscientia erronea, ut possit quis ex tali conscientia erronea licite operari, reddatque illum errorem invincibilem, verbi gratia, si aliquis per errorem existimat se non contraxisse verum matrimonium, et superior judicat esse verum, et præcipit cohabitationem, an liceat operari ex tali conscientia erronea, et consequenter error ille maneat invincibilis.

XXXIX. Respondetur aliud esse, an teneatur in illo casu deponere conscientiam erroneam subditus, aliud an etiam si non deponat, sed retineat illam, possit ex præcepto prælati operari contra illam, et reddere errorem illum invincibilem. Hoc secundum nunquam est licitum, sed est indispensabile quod non liceat contra conscientiam; D. Thomas in II, distinct. xxxix, quæst. 1, artic. III ad tertium affirmat: « In tali casu cessare præceptum superioris, et standum esse dictamini propriae conscientiae. » Et ratio est manifesta, quia in tali casu præceptum superioris proponitur ut non obligatorium, sed ut destructum per contrarium dictamen; in hoc enim consistit conscientia in tali casu, quod proponit aliquid agendum non obstante lege superioris, quia reputat illam non obligare, si enim iudicaret obligare, non proponeret oppositum ut obligans, verbi gratia si judicat superiorem in tali casu non posse præcipere, aut quia facit contra justitiam, vel jus naturale. Ergo impossibile est quod præceptum superioris obliget contra conscientiam erroneam, illa perseverante, licet obligare possit ut deponatur talis conscientia erronea, si error cognoscatur.

XL. Et hinc probatur prima pars, quia unusquisque tenetur deponere

conscientiam erroneam, quamdiu error ille est vincibilis, et culpabilis; posito autem præcepto superioris contra illam conscientiam, potest ille error vinci, quia præceptum superioris facit auctoritatem, et pondus contra aliam opinionem quando illud præceptum non continet errorem intolerabilem; ergo relinquit errorem illum vincibilem; ergo deponibilem, et sic obligare potest præceptum superioris ad deponendum conscientiam errantem.

XLI. Quod si conscientia vere, et notorie dictet aliquid esse juris naturalis, aut divini, tunc manifestum est, quod præceptum prælati contra talem conscientiam nihil valet, quia non potest ligare præceptum inferioris contra legem superioris; imo si aliquid contra hoc præcipiat, erit attentatum et nullum, continebitque intolerabilem errorem. Et idem est si præcipiat inferior contra legem expressam superioris, verbi gratia, contra legem summi pontificis, quam non constat esse revocatum.

XLII. Et quidquid diximus de peccato contra veram conscientiam, quod non sint duo, sed unum peccatum, et in qua specie sit, et quando sit mortale, vel veniale, proportionate dicendum est de conscientia erronea, quia eodem modo obligat ac vera, quamdiu non deponitur.

### ARTICULUS III.

*Quomodo practice sit judicanda conscientia probabilis, et secura?*

I. Magna difficultas est in formando conscientia practice tuta, et quæ excuset secure conscientiam, et in hoc totus labor est, pendet enim non solum a scientia, sed etiam a prudentia, illa si quidem conscien-

tia est bona, et secura quæ est prudens secundum veram, et virtuosam prudentiam.

II. Igitur dictamen, seu conscientia sequenda, et qua licite regulari possumus est duplex, scilicet conscientia certa, et probabilis dummodo practice probabilis sit, et de ejus probabilitate constet: conscientia autem deponenda, seu reformanda est conscientia erronea, dubia, scrupulosa. Tales enim conscientia, nisi per sufficientem diligentiam reducantur ad probabilem conscientiam, tute non possunt admitti. De conscientia ergo deponenda agemus sequenti articulo. De sequenda practice, et prudentialiter in præsentia.

III. Quod ergo attinet ad conscientiam certam, et indubitam, nulla est controversia, quod illam tuto sequi possimus. Tunc autem certa, et indubitata conscientia est, quando nulla apparet ratio peccati, vel periculum peccandi in operando, neque dubitatio aliqua ejus animum pulsatur circa tale dictamen. Sed quia etiam in erronea conscientia hoc inveniri potest, si quidem ex pertinacia ita solet aliquis adhærere affectui particulari, quod nihil dubitet de tali sententia, et judicio, oportet ulterius dicere, quod cum in præsentia solum agamus de conscientia erronea vincibili, seu culpabili, non de invincibili, in tali casu nunquam admittimus quod nulla appareat ratio (id est fundamentum) peccati, vel dubitatio de illo, licet iste ex malitia nolit tamen rationem sequi, sed pertinaciter errori adhærere. Nam si nulla ratio, aut dubitatio in oppositum apparet, jam error ille non esset vincibilis, et culpabilis, sed invincibilis, quia nihil apparet, quod vinci posset. Si vero aliqua dubitatio, vel ratio in oppositum occurrit, jam non ex certitudine, et adhæsione sola rationis, sed ex pertinacia, aut malitia voluntatis

procedit illa adhæsio erronea; præsertim quia in conscientia erronea semper syndæresis remurmurat, et dubitat saltem speculative, et sic non manet conscientia erronea ita certa, quod sine dubitatione vel ratione in oppositum procedat, quod tamen facit certa conscientia.

IV. Quod vero attinet ad conscientiam, seu iudicium probabile, est unica regula certa: Licere sequi conscientiam, et sententiam probabilem, dummodo de ejus probabilitate certo constet practice, et prudentialiter, non solum speculative, quia probabilitate practica (id est prudentiali) stante, quantumvis speculative habeat dubitationes, et difficultates, imo licet oppositum appareat probabilius, et tutius, licite potest talis conscientia sequi. Hanc regulam censeo generalem, et universaliter veram pro omnibus actionibus moralibus, licet non æqualiter judicanda sit probabilitas practica in omnibus materiis, sicut nec prudentia æqualiter in omnibus operatur, imo nec in eadem materia, quia juxta varias occasiones, et circumstantias mutatur iudicium prudentialiter. Et in præsentia, probabilitas practica, et prudentialiter iudicium æquiparantur.

V. Duo ergo nobis probanda sunt. Primum, quod non sufficit probabilitas speculativa, si practica probabilitas prudentialiter, et morali modo certa non sit; secundum, quod stante hac certitudine, seu probabilitate practica in quacumque materia, licite procedi potest, quantumcumque dubitationes, vel difficultates aliquas quis patiat, quæ in tali casu solum erunt dubitationes speculative, quæ nihil obstant, aut etiam si opposita pars tutior et probabilior appareat, sufficit enim probabilitas practica, et non requiritur probabilitas speculativa, ut licite quis possit operari.